QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-octavâ Februarii anni M. DCC. XXXIV.

M. LUDOVICO-PETRO LE HOC,
Doctore Medico, Conſiliario Medico Regis ordinario in ejus Caſtelleto, Præſide. autore.

An initio Morbi acuti Amara?

I.

NON ideò morem geſſeris conſuetudini cuilibet, quia uſu receptiſſima. Experimentis obtemperat Medicus; ſcilicet quandò rectâ ratione innituntur, naturamque ſequitur ſemper inter-operandum ducem. Imprimis habet ante oculos mirandam illam villorum intertexturam commodatitio labore oſcillantium, humoribuſquè motu perpetuo circumquaque agendis aptiſſimam. Vivit homo, vigetquè, ſi fibrarum contractio æquabilis, ſi libera earumdem relaxatio. Tùnc ſolitas ſanguinem ire, redire vias; tùnc humores placido agmine fluere in alveis ſuis: tùnc ſecretiones peræquâ proportione fieri, & excretiones. A motu igitur ſolidorum humoribus impreſſo, vita; à villis verò flexibilibus, iiſquè vim ſuam in liquores ſubjectos citrà obicem exercentibus, ſanitas. Sed quàm fragilibus fulta utraque fundamentis, tot diſcriminibus objecta, quot fibrillis humana machina coagmentatur; contrahantur plus æquo, ultrà quàm par eſt dilatentur, rigeſcant, intempeſtiva tenſio ſit, importuno denique Erethiſmo laborent; hìnc ineluctabilis morborum ilias. Quid enìm? vaſorum ſpaſmate alveos coarctari, criſpari fibras miſerum in modum, eaſdem torpere velùt exanimes, Annibalem ad portas, totiuſquè ſæpè microcoſmi diſpendium. Interea liquorum nulla quies; intùs aguntur velùt œſtro perciti, eoquè velociori gradu dextrorsùm ſiniſtrorsùmvè per apertos diſcurrunt alveos, quo majori vaſorum ſpaſmo vetitum eſt, nè præterfluerent ſuos. Væ fibris obſtantibus, ni perduellem citiùs liquorum affluentiam innatâ ſibi vi refrænaverint. Oppoſito aggere præcipites ruent quà data porta, nihilquè aliud ſperaveris indè, niſi ſtragem immenſam, luctuoſaquè omnia, motum in horas turbidiorem, excandeſcens magis àc magis incendium, diſtenta crudeliùs vaſa ſeditioſo malè turgida liquore, qui quidem eò fluit, ubi minor eſt renixus. Nèc datur hìc calamitatum finis: quos etenim ſenſiſti magno damno tuo tumultuoſos, eos experiere poſthac maximo periculo ſtagnantes, coagulatos, putridos, acriores factos diuturniori morâ, quâ

fibrarum molestiùs tùm vellicatarum Erethismus augeatur. Sanguis per arterias & venas diffusus nèc amplioribus vasis abstinebit, nec iis quidèm quæ lymphæ secernendæ natura destinavit: majora inexpectatus vitiabit refluendo; Lymphatica distendet mole nimiâ, pervadetquè insolens. Nullus jàm excretionum ordo, nullus secretionum exitus, earum materies corrumpitur, adulteratur, *latèquè furens discordia regnat.* Ex gemino hoc humorum sanguinisquè fonte derivata clades in singulas humani corporis partes fluit, diversas pro diversis appellationes sortitura: si cerebri membranas attigerit Erethismus; phrœnitis, delirium: si Plevram sauciet; Plevritis nuncupatur: Pulmones infecerit; habes Hœmophtisim, Asthma, Peripneumoniam: jecori insideat; ei hepatiti; renibus, Nephritidi nomen est: si quandò vesicam momorderit Ischuriam dicas, aùt Dysuriam: abdomini inhœrens, ardentes, ut aiunt, febres excitat: tantus deniquè fit Erethismi grassantis ubiquè impetus, ut scabiem sæpè sæpiùs suam singulis simùl humani corporis partibus affricet; quemadmodùm videre est in Variolis, Putridis Febribus, & Morbillis. Hìnc acuti morbi, velutì milites ex equo Trojano. Acuti porrò dicuntur ii quibus paucula finem constituit dies, gravibus adeò symptomatis comitati, ut vita hominis maximum in discrimen adducatur, *præsentemquè intentent omnia mortem.* Cave igitur acutorum causam efficientem & proximam cùm secundariâ promiscuè habeas: nequè tùnc humorum emendandus acor, cùm vehementia spasmorum removenda. Apage oppidò remedia illa sint, quorum adminiculo vasorum spasmati vires accesserint.

I I.

QUEMADMODUM ab elaterii ministerio pendet in horologio, ut rotæ sibi invicem respondentes, varios ad normam orbes conficiant, ipsaquè acus distincta horarum *punctula* circumeat & indicet: eadem ratione dederis fibras elatere donatas, aptè secum invicem connexas, protensas molliter, reciprocè & æquabiliter oscillantes, statim exurget corpus humanum, in quo liquores, quoscumque volueris, ex imperatoriâ fibrarum voluntate quaquaversùs moveantur. Nec id experimenti intentatum mortalibus omninò est. Nil industriis arduum. Extat apud serenissimos Duces de *Wirtemberg* in egregio illo, quod summâ curâ adornavere, machinarum hydraulicarum cimeliarcho, extat statua quædam hominem exhibens, venis arteriisquè suis instructa, adeò ut naturæ æmula Ars Chyli motum, variosquè sanguinis mœandros, servatis adamussìm strictioribus mechanicæ legibus imitetur. Fluunt ergò liquores ad nutum solidorum, nec nisi ex solidorum vitio proficiscitur, si qua insit liquoribus lues. Undenàm enimverò habeant ut progrediantur, circulosquè agant innume-

ros? propinaret se deridendum, quisquis proprium liquidi pondus, inditamquè ipsis à naturâ vim incusaverit. Ad populum phaleras: nequè enim liquori cuipiam datum vèl tenuissimo, ut per se ipse sivè sursùm, sivè deorsùm, sivè circulatìm moveatur, quem statìm àc sibi ipsimet vèl quieto aëri permiseris, stupidum jacere videas, & velutì plumbeum. Quâ quidèm in re ea omnia ad manum sunt, quibus mechanici abutuntur. Fulcrum desideras? ossibus innitere; potentiam? nulla elaterio major. Quis fibras organum motûs nolit esse vel instrumentum? Liquor admissus ponderis vices gerit, quem si jusserit elaterium fluere inter canales suos, quisquis ille sit, v. g. Betaceum jus, legitimos exercebit motus machina, nèc aliud in liquore forsàn reprehendes, quàm quod careat partibus iis, quæ nutritioni secretionibusquè inserviant. At concordiæ huic perperàm adversatur fibrarum Erethismus. Obseratis exempli causâ, quæ innumera sunt in pulmone capillaribus vasis, febrim illicò excitari, alacriùs graviùsquè micare arterias, ægrè fieri viam sputis è pectore, irrequietum oriri lateris dolorem, anhelum interpolatumquè suspiriis spiritum. Jam non suus est sanguini color, lento, tenaci; glutinosum dixeris: alvus suppressior, tumidi oculi, igneum rubentes genæ, inextincta tandèm linguæ palatiquè siccitas, malè vellicari, spasmoquè laborare arguunt fibrillas ad unam omnes. Singula quid memorem mala, quorum fœcundior est fibrarum Erethismus parens? liceat de jecore nonnihil addere, cujus si se nimio liquore canaliculi ingurgitaverint, nascaturquè indè eorumdem inflammatio, quantus regionem hanc quamquè acutus excruciat dolor? refluit bilis in venas & arterias, hìnc sanguinis coagulum. Caveant & sibi ab humore contagioso cæteri quicumque corpus humanum liquores alluunt: singulis suffusa sivè urinis, sivè lymphæ, ne sputa ipsa excipias, omnibus deniquè simùl & colorem suum vicinior asperget, & vitium. In propinquo discrimen est. Cutis arida, nimiùm tensa, subjectivo igne adusta, nullo humore recreata, calor præter naturam æstuans, acerbumquè adeò parti laboranti dolorem inurens, ut impatientèr eò loci linteorum, subuculæ ipsius lineæ molem sustinueris: sititur inexhaustè: caligant oculi: nil nisi amarum sapias: continuo implacabiliquè pervigilio torquearis: vix ægram crebris trahas suspiriis animam: nulla ciborum appetentia, maxima pulsûs durities & frequentia. Quid ad hæc Medicus misero assidens? quâ ratione periclitanti opituletur; nil habeat antiquius, quàm ut sanguis ad intermissa munia redeat citò citiùs, succi crassiores sibiquè invicem adhærentes sese explicent, atquè iterùm, ut moris erat, fluant, acriorum æstus deferveat. Quod quidèm præstabit feliciter, si remittat deviantium humorum impetus. Istud verò rei medicamentis quibuscumquè cave peragendum putes. Ad

diluentia confugias : horum ope fibrarum Erethiſmus evaneſcet, comprimetur ſpirituum furor. Diluentium eſt potionum novum evolvere elaterium ; fibras flectere, mitigare, quas innoxio pede decurrunt in tenuiſſimos quoſque alveolos blandè irrepentes. Indè plurima villorum ſalus, qui totam intùs vaſorum ſeriem complexi, ubi primas amici roris guttulas combibere, præpoſteram aſperitatem paulatìm exuunt, ad motum facti paratiores.

I I I.

SUA ſunt arti hippocraticæ myſteria, quibus initiare quoſlibet piaculum eſt. Arcendas ab iis quamplurimùm mulierculas velim & bene multos ejuſdem furfuris homines. Unica medicaſtris hiſce morborum ſanandorum via, amara temerè propinantibus ſemper, quicumque te lecto morbus affixerit, etiam acutus, & eo præſertim temporis puncto, quo toti machinæ minitans incendium parat. In eodem luto hæſere Medici complures, quos tanto nomine inſigniri piget, adeoquè in immenſum uſus iſte convaluit, ut præcipuus oriatur indè Chirurgorum, & *libitinæ quæſtus acerbæ.* Ubi conclamatum de homine eſt, Medicum rogant. Quid faciant ? quo ſe vertant ? nullum non movere lapidem ut morbum vincerent, apozematis indomitum. Deos immortales ! quaſi verò nihil ſalutiferum ſit præter apozemata, nèc ad rem pertineat, quo quis morbi genere affligetur, quo natus fuerit cœlo, quo corporis habitu ; quaſi verò nulla ſexuum aut ætatis ratio habenda ſit, divinaquè illa Medicorum ſcientia plantulis aliquot, puta cichorio ſylveſtri, linguâ cervinâ, &c. totidem velutì cancellis contineatur. Cui quidem conſuetudini pravæ eo promptiùs repugnandum, quod & mechanicam humani corporis œconomiam ſubvertat, & hominum ſaluti adverſetur, in ipſo præſertìm morborum acutorum exordio. Quid enim commendat amara, niſi quòd ſaporem præ ſe ferentia vehementiſſimum, ſaliniſquè horrida aculeis nervoſas linguæ papillas pungendo exagitant. Teſtes eâ de re appello centaurium minùs, fumariam, carduum benedictum, &c. quorum partes plurimo ſale rigentes videris, ſi admoto igne evolvantur, fibrillis aſtringendis peridoneas. Hìnc Hermannus Corticem peruvianum graphicè depingens, *ob ſalia fixa*, inquit, *rigidiſſima & amariſſima ſubſtantiæ terreæ & aſtringenti incluſa inſignem obtinet vim antifebrilem.* (*In Cynoſurâ.*) Porrò cùm eadem ubique ſit amarorum medicamentorum ſors, nec niſi gradibus inter ſe differant, pro majori ſuâ vel minori amaritudine mordent acriùs, leviùſvè. Quæ verò papillis linguæ nervoſis infixere ſpicula, iiſdem fodiunt & fibras ſtomachi, arterias, vaſa ipſa capillaria, tota deniquè membranarum compages eò periculoſius tot jaculis patet, quò nervuli quibus conſtat linguæ papillis tenuiores ſunt & graciliores. Sed fruſtrà his immoror. Quid corpori humano, cùm ſalibus quos horret natura, nec ulli

unquàm in homine liquori admixtos voluit, nisi ut eliminarentur? extrahas, amabo te, & eâ de causâ nulla lis inter Chymicos, extrahas sales è lymphâ vel sanguine ipso, sales, inquam, utrique adeò infensos, ut doleat statìm, si quid urinam exportandis salibus destinatam intercurrendum morabitur. Constent igitur sibimetipsis. Vetant ægrorum jusculis vèl minimam salis micam injici, quâ fronte iisdem præscribunt apozemata multo sale formidanda, in quibus si mitior videatur plantarum vis, ipsissimum adjiciunt sal Glauberianum, Rupellense, &c. eâ mente, inquiunt, ut efficaciùs agant, hominum verò benè cordatorum judicio, ut mortem maturent ineluctabilem. Nec mirum si res eò recidat. Acutus enim morbus hominem invaserit, tùnc solida moveri impatientiùs, fibrarum situm non eumdem esse, crispari eas rugisque obduci, urgente jam Erethismo torreri febribus artus, jam secretiones nullas, earum materiem corrumpi, sanguinem, lympham in se concitata refluere, interclusisquè viis concrescere, indurari. Quis in tanto discrimine de amaris cogitet, nisi in mente habeat Erethismo vires, morboquè ipsi calcar addere? sed nonnihil ad hæc superba medicastrorum imperitia. Stimulis opus est, ut ne parietes alveorum impunè lambant apozemata, quemadmodum aqua telam ceratam, & irrita prætergrediantur. Stimuli autèm illi, immixti apozematis amarorum sales. Hæc retulisse, refutasse est. Quænam etenim in collatione istâ similitudo? amaris istud nominis eâ de causâ inditum, quia pungnnt, eoquè ipso procùl ab aquâ discrepant & abhorrent. Nequè etiam solidis par ratio est cùm telâ ceratâ, si quandò fibrarum partes spasmi violentia irritaverit. Nemo sanus equum ferocem calcaribus premit; temerè stimulos addiderim solidis spasmo circumquaque laborantibus. Tùnc stringi miserabiliter alvum, nequè in mentem veniet cuiquam, ut tensior nimio purgamentis subducatur. Admissa stomacho semel, evolutaquè amara postquàm fibras ejusdem & intestinorum nervosas malè vellicaverint, chylo se insinuant, recto indè in sanguinem tramite, cujus massam adulterant. Vitiato fonte, plurima rivulorum lues; lympha, liquores deniquè omnes contagio ineluctabili corrumpuntur. At obsistendum est humorum coagulo: non ego inficias iverim. Quâ verò ratione, hoc opus, hic labor est. Tanto muneri imparia crediderim ámara esse. Scatent sale multo, fassi jàm multoties sumus; sed quid indè, ut liquores fluant? impellentur ne ideò huc illuc quod acriori eos salium copiâ condiveris? àltiùs ergò repetenda res, standumquè principiis cùm sanâ Physicâ magis cohærentibus. Stagnant liquores, quia minùs æquo teruntur: terere autem solidis solis à naturâ concessum. Solidorum igitur elaterem diligentiùs attendas; solidis medeare; elaterium restituas! interceptæ sunt elaterii vices, prima hæc est

origo mali : revocentur ad priſtinum ſtatum , unica eaque certiſſima erit reparandæ ſalutis via.

I V.

RATIONE pugnavimus hucuſque. Suum etiam authoritati experimentiſquè robur eſt. Amara intèr medicamenta præcipuas , ſi qua Helvetio [a], Hoffmannoque [b] fides , obtinet Kina-kina , cautumque ideò Medicis diligentèr , ne furente primo febrium æſtu admittatur. Tùnc membranas ſollicitaret nimiùm amaritudine ſuâ , & exſtimularet. Quid facto opus ? quid providendum ? ſcilicet ne pulſus arteriæ durior ſit , nè lingua arida , ne externus cutis , internus viſcerum ardor. Hæc cures ſedulò , alioquin ſanguis admoto novo igne vehementiùs torreretur : hìnc obſtructiones , hinc tabes , hydrops , icterus , cachexia. Priùs ergò expedita ſit ſanguinis inter canales ſuos profluentia. Ab iſtâ viâ ne latum unguem receſſeris , velim. Agitur vita hominum, quam ſæpe ſæpius extremo diſcrimini obtulit propudioſa ſanè medicaſtrorum temeritas. His nulla ſervatur temporum differentia ; Corticem Peruvianum in ipſo morborum acutorum exordio adhibent , flammaſque exſuſcitant magis ac magis , longè omnia latèquè vaſtaturas , niſi potionum diluentium aſſiduâ conſperſione reſtinguantur. Anteeat tamen vaſaquè nimio ſanguinis pondere gementia levet præmiſſa venæſectio. Fibrarum ſpaſmo intercedendum maximè , quarum inimica nunquam remittet aſperitas , infinitos licet exſiccaveris ptiſanæ calices , quandiù potionibus intercludetur diluentibus iter , quò ad remotam uſque mali ſedem perducantur. Viſi etenim ægroti complures , quorum ſanguis liquoreſquè cæteri exhauſtis intrà diei unius ſpatium , ptiſanarii *pintis* , ut Gallicè loquuntur , plus viginti , nihilo fluerent expeditiores. Cur ita ? in promptu cauſa eſt. Intermiſſæ elaterii vices. Tumebant vaſa plus æquo. De ſolidis cogitandum , ſolidis tuliſſes opem , elaterio priſtinus rediiſſet vigor, ſtatim fugiſſet hoſtis , nec liquorum diutiùs ſtetiſſet coagulum. Pereant igitur malè ſulphura illa fictitia , nugatorii ſales, cùm commentitio humorum intùs efferveſcentium æſtu , undè oriri ſingulos humani corporis motus , ſecretioneſque ipſas perperàm aſſerunt. Cùr ligna foco ſubjiciunt ? Jàm nimia viget in acutis morbis amarorum copia. Ægrè fluit bilis , jacet ſtagnatque ſæpè ſæpius in jecore , refluit in ſanguinem , os ipſum ingratâ afficit amritudine , novas indè naſci febrium reverſiones quis dubitet ? Flagrant omnia , & tu oleum flammis infundas , ſitim ſalinis , calorem æſtu , amara amarioribus corrigere auſus & emendare. Flectet villos quibus allabitur ſanguinis lymphæquè ſeroſus humor , molliet mitigabitve inſtructus ipſe pugnacibus amarorum ſpiculis ? abſit crediderim : futurumquè eſſe , ut laceſſitæ ſalibus

[a] *In Theſi de Kina-kina.*

[b] *Friderico.*

fibrillæ taceant, nec injuriam ulciſcantur. Bellum recrudeſcet, ſpaſmus in horas major fiet & contractior, tremuli inordinatiquè tendinum ſubſultus, promiſcui malè ſpiritus & liquores, morbus contumacior; tantæ molis erat ſalibus, amariſquè abſtinere intémpeſtivis, quos quidèm ipſiſſimos exortæ ſeditionis facem tot malorum authores incentoreſquè, non verò peculiarem morbi vim, procùl ab opinione populari diſſidens, inſimulaveris.

V.

VIDERE mihi videor concitatum in me totum, qui plurimus eſt, præſtigiatorum gregem. Nequè enim deſunt quæ contra referant, àt floccifacienda. Quâ ratione ergò, inquiunt, diluentia ædificabis, ruat Medicina, fame pereat Medicus neceſſe eſt, ſi nihil jubeas aquæ intermiſceri crudæ nimiùm auſteræquè. Aquam tu nudam ægro propinaveris? quidni. Utinam liceret: nec vana Medicos labefactarent vulgi præjudicia. Temnitur aqua, quia vilis & de medio ſumpta, morboſquè parvo fugare nefas. Sed quid aquæ novi accidit, quam exquiſitâ tot rerum diverſarum farragine onerant? Adulteratur. Caveat à pravâ iſtâ ratione agendi Medicus ſapiens; ſicquè præjudicatis vulgi opinionibus obtemperans, plantulas aliquot molles aquâ excipiat, ùt nihil ex nativâ ipſius *fluiditate*, nihil ex amicâ dulcedine, nihil ex innatâ levitate detrahatur. Hominem decipias aliquantulùm, per me licet, àt occidere nolito quem ſanare aggrediaris. Horret phlebotomiam plebs & quidquid ſimplicior natura docet, præſtigiorum amans, eoque ſanandam promptius ſe certiuſque exiſtimat, quò plura numero, nomine barbariora, longiuſquè accerſita remedia præſcribuntur. Atquè iſte uſitatior mos in divitum ægrotationibus; fortunæ accommodanda medicamina: nequè enim eadem *togatis* proponantur, quæ *tunicato popello*. Remedium illud lubentius vorant quod multo auro væneat. Hinc guttæ illæ nuperis hiſce diebus per ora hominum volitantes, flavæ aliæ, his bilem: aliæ lacteæ, his lympham aſſignant. Hìnc diſſolventia aurea, auratum elixir, pulvis aurificus, nihil non aureum, inania ſtolidarum aurium ludibria. Nèc minoribus Cachinnis dignas exiſtimem tenebroſas illas medicamentorum apellationes, intimum cùm intimo, cadaveroſi liquoris ope copulantium, quò mortui ipſi ad vitam revocentur. Nota omnia hæc Medicis prudentibus; àt ne minima quidèm adhibita fides. Amicorum inſtar habebant Pharmaca: nemini pauciores veri nominis amici ſunt quàm qui pluribus indiſcriminatim aſſuefacit. Mutata in pejus à medicaſtris hodierna praxis: oleum, ſales & amara crepat mera, Vulcano, etiàm affinior cujus auxilium mutuata, Chymicaſtros intellige, mille inauditos ſanandi modos, alius forsàn dixerit mille nocendi Artes excogitavit. Illuc undè abii redeo. Amara nolim omninò

eliminarier. Præſtant in chronicis : nèc præſentius quidquam remedii ſuaſerim, ſi cujus ſanguinem, Scorbutus, Scabies, Lepra vitiaverit. Idem eſto judicium de ſcrophuloſis, melàncholicis, hypochondriacis, &c. Veteres eâ de re Medici concinunt cùm recentioribus, firmari amaris ſtomachum & corroborari, promoveri digeſtionem, quatenùs fibrillæ gaſtricæ benignâ manu palpatæ, àc titillatæ, liquorum, ſanguiniſque ipſius accelerant gradum. Non aliundè deſumenda forsàn febrifuga illa quam miramur, Kinækinæ vis. Sed quorsùm iſta in primo acutorum morborum impetu? Nil corroborandum tùnc temporis, nil concoquendum. Placet & in acutis morbis amarorum hauſtus, ſcilicèt quandò ſeneſcunt, Erethiſmiquè æſtus evanuit. Tùnc fibras, ut quæque graviori ſpaſmo diſtenta eſt & contorta, ita jacere imbelles, languidas, ſine viribus, ſine ictu, *atoniâ* laborant, lethali veterno correptæ, quem amarorum ſtimulis excutere ſtudeas, elaterio vires novas adjungere, tardiores excitare fibrarum oſcillationes. Quid verò cùm prima mali rabies debacchatur, vinci adhuc neſcia ? fiat venæ inciſio. Hac miſſus cruor vaſorum tenſioni modum, Erethiſmo finem, aquoſiſque viam liquoribus parat, qui vaſorum alveis undique excepti liberiorem jubeant obambulare ſanguinem, liquoreſquè alios; eoſdem miteſcere, recreari, ſolidaſque partes poſito rigore ſubigant & emolliant.

Non ergò initio Morbi Acuti Amara.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Franciſcus - Joſephus Hunauld, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, in Horto Regio Pariſienſi Anatomes & Chirurgiæ Profeſſor ac Demonſtrator.	*M. Paulus - Jacobus Malouin,*	*M. Franciſcus Goüel.*
M. Ludovicus - Petrus Le Hoc, Conſiliarius, Medicus Regis ordinarius, in ejus Caſtelleto, Actûs Præſes.	*M. Joannes-Baptiſta Boyer, Conſiliarius Medicus Regis ordinarius in ſupremo Galliarum Senatu.*	*M. Urbanus Leaulté.*
M. Antonius - Nicolaus Guenault.	*M. Deſiderius - Claudius Fremont.*	*M. Franciſcus Afforty, Antiquus Facultatis Decanus*

Proponebat Pariſiis ANTONIUS-JOANNES DAVAL, Pariſinus, Facultatis Pariſienſis in utroque Jure Licentiatus, in ſupremo Galliarum Senatu Patronus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1734. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1734.